



dicam te querimoniā meā, et ex tua promissione  
terram cœlestium intrare, os orgiēis nūbi,  
contradicer, aut resistere nequitorum  
fur in conspectum tuum suppli-  
cantes tuis perueniat. libera  
m̄ recipiſt, ab omni pericilio.

Quare Deus innocandus. Ut animo, & cogitatione do-  
frinam cœlestem comprehendere, ut purè, ac sincerè alij ex-  
plicare possim, sublata voce clamorem ad te edo. Quare tuere me,  
et defende: ut de tuorum decretorum prescriptionibus vitam,  
et mores gubernare queam.

is, saluum seruus, & incolumentum

III. III.  
n immu-

III. III.  
Ineffabunt labia mea  
si cueris me iustificatione  
non nunc iabit. Ita ual-  
erum: quia omnia

maui: quia in verba tua superpera  
Præuenerunt oculi mei ad re-  
culo, ut meditarer eloqua tua.  
Quo ardore animi, que est fides, à circumstantia  
ris. Antelucanis horis euigilans, ortum solis quirat

præmerito, omnem spem meam, præsidiumq; in tuo verbo  
nens. Non dum cùm raga coelo sidera fulgens aurora sic  
stulum relinquo, vt mediter verbum tuum : deq; tuis manu  
ad curie meæ commissos sermones habeam.

A.

Vocem meam audi secundum  
fericordiam tuam Domine: & ec-  
dum iudicium tuum viuifica me

*Cuius fiducia orandum, non videlicet ullius pri-*

meriti, quod ab opibus nostris naturae proficiisci potest.  
tum misericordia, & clem  
ta peccata, inquit Ambro. Eu

*implorantis tuam n* 3 brie

tam mihi hanc illam in  
discere iustitiam ex hominibus

卷之三

卷之三

res me nunc omnia

L I S I B

C O . L I B E R V.

516

admitte querimoniam meam, et ex tua promissione verum cœlestium instrue, os ergens noster hi, contradicere, aut resistere nequit, sed tur in confessum tuum suppliatur, dures tuus perueniat, libera incepisti, ab omni periculo, et in saluum seruat, & in columnam.

III. III.

Quætabunt labia mea in cueris me iustificatione, et nonunciabit lingua mea primum : quia omnia itas.

Quæci animi promissio, ut deo me Domine, & verbi tui explicabimini, abra que sita sicut diuina, q. non erit certe ullum tempore studiū meum, is beneficiū Dei conticeat Non potes quis eris o suo, ambo.

VI. VII.

Quæcūq; manus tua vt saluet me : quo mandata tua elegi.

Quæcūq; concubini salutare tuum, Domini.

Quare Deus invocandus. Ut animo, & cogitatione doffrinam cœlestem comprehendere, & purè, ac sincere alius explicare possum, sublata voce clamorem ad te edo. Quare tuere me, & defende : ut de tuorum decretorum præscriptionibus vitam, & mores gubernare queam.



*GM*  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

17-46.

SIGNAT. 17-46 CCCXIII.



15g.

IV.

De

125.

# CONCILIIS

Contra Roberti Bellarmini

libros duos, hac de materia  
scriptos,

DISPUTATIO

ab

HEINRICO HÖPFFNERO,  
SS. Th. D. & PP.

Respondente

M. BALTHASARE HILSCHERO,  
Hirschbergâ-Silesio.

œr Osω habenda,

Addiem XXI. Januarii horâ 7.

ANNO M. DC. XX.

---

Lipsie,

Sumptibus Hæredum Thomæ Schüreri.

Excudebat FRIDERICUS LANCKISCH.



126-

DD

# GONGIORI

Contra Rectoris Bellissimum

ppropter quos pseudestis

ributorum

Digitized by

HENRICO HOPFNERO

STETTINIUS

MATTHIAS HORNOL

Digitized by

Digitized by



**D**oste aquam intra privatos parietes  
analysin examinis, quo Magnus ille Theologus Chemni-  
cius, impietatem Concilij Tridentini demonstravit, ad  
finem συνέργεων deduximus, placet generalem de conciliis  
doctrinam sub disquisitionem revocare, cum & occasio-  
nem hujus meditationis nobis præbeat Concilium, quod  
super audivimus ab Herode, advenientibus Magis, coa-  
ctum fuisse. Dicemus autem 1. de Etymo & natura Conciliorum, 2. de convo-  
cationis modo, autore & personis convocandis. 3. de judicij synodici requisitis, obje-  
tis, norma sive principio, & praefide, 4. de fine & autoritate Conciliorum.

## C A P U T P R I M U M.

*Concilium dictum est, vel à convocatione homi- Thesis I.  
num, vel à conciliatione dissidentium opinionum.*

Priorem etymologiam Isidorus dedit à verbo concire. Rectius autem: Isid. orig. 1.  
Festas à concalando. Ut enim cahere Antiquis erat vocare, ab Hebreo לְקַדֵּשׁ 6. c. 16. Fe-  
unde & Græcum καλεῖν: Ita conealare idem notabat, quod convocare. Inde stus de verb.  
concilium quasi concalium, quod è variis locis diversi homines in unum con- significat.  
vocentur. Posterior autem notationis ratio à scopo sumta est, quia in Conci-  
liis opinionum dissidia debent tolli, unde distinet. 15. cap. Canon: dicitur:  
Conciliū nomen tractum est ex more Romano: Tempore enim, quo cause ageban-  
tur, conveniebant omnes in unum, communī intentione trahabant. Unde con-  
cilium à communi intentione dictum quasi consilium.

Græcis dicitur σύνοδος, à congressu, eaq; vox in sacris ἀνθοδεξεῖ  
non habetur: LXX. autem usurpant voces συκιλησία, συναθροισμός  
& συναγωγή, quibus reddunt voces Hebraicas לְקַדֵּשׁ congregatio Exod. 35.  
2. Num. 10. 7. Deut. 31. 12. 28. 30. πρῶτον cœtus: Exod. 35. 1. 4. Syri בְּבָשִׂיר Euseb. lib. 5.  
concilia. Apud scriptores Ecclesiasticos dicuntur etiam συγκεγένησεις, hist. cap. 22.  
σύλλογοι &c. Canonistæ habent & vocem conciliabulum, quod tamen non  
nisi de illegitimis conventibus & synagogā Satanæ exponunt, distinet. 17.  
Sed conciliabulum propriè Latinis, Cicer. 1. de divinat, Liv. lib. 25. 40. & 60.  
Plaut. in Trinum. Festo lib. 3. est locus, in quo conventus habentur.

*Hæc vero πολυώνυμα omnia sunt ὄμώνυμα.*

Thesis II.

Nam 1. Concilia alia sunt Politica, Cic. 3. de leg. in XII. Tab. Cæs. 2. bell.  
Civil. quæ & comitia vocantur: Alia Ecclesiastica. De cœtibus autē Ecclesia-  
sticis

128 Sicis rursus voces hæ accipiuntur 1. vel x. oꝝ, ut cum Patres congressum  
Mariæ, Elisabethæ ac Zachariæ, item Magorum ad cunabula Christi con-  
ventum, vocant synodos & concilia; 2. idem de solennioribus tempore festo  
congregationibus, in quibus ad docendam & discendam religionem conve-  
niebant; vel deniq; idem de Conciliis Ecclesiasticis propriè sic dicitis.

III.

*Est autem Concilium Ecclesiasticum nibil aliud,  
quam conventus piorum, eruditorum & gravium  
virorum ab Ecclesiis, ex omnibus earum ordinibus,  
ad legitimam convocationem missorum, ut de fidei  
controversiis, & disciplinâ ex verbo DEI dispergiant  
ac iudicent, ad DEI gloriam, & Ecclesie salutem.*

IV.

*Modus convocandi Concilium est vel precarius,  
vel imperativus.*

V.

*Precaria convocatio Concilij est, quæ fit unius,  
vel plurium, in Ecclesiâ cohortationibus.*

Talis convocatio olim ad Metropolitanum spectabat, vel ut si voca-  
mus, Superintendentem generalem. Si qua verò provincia non habet istius-  
modi Inspectorem, tūm cura convocandæ synodi ab Ecclesiis illius regionis  
potest unicuique extraordinariè committi, vel ipsi episcopi, aliiq; pīj, pos-  
sunt se mutuis cohortationibus excitare: Sic Hierosolymis convenerunt A-  
postoli, & viri Apostolici, aliiq; conversi, A.D. 15. Sic postea Ecclesiarum con-  
fessum episcopi, aliiq; in scripturis potentes viri Antiochiae adversus Paulum  
Samosatenum sub Galieno & Aureliano: Romæ adversus Novatum sub De-  
cio: Sinvestre contra Marcellinum Papam Romanum sub Diocletiano: Ancy-  
ra: Neocasate sub Maximiano synodos celebrarunt.

VI.

*Imperativa convocatio est, quando concilium  
summi magistratus, vel fidelis, vel certè religio-  
nem tolerantis, autoritate & jussu cogitur.*

Summum magistratum dicimus vel simpliciter, qui nullum agnoscit su-  
periorem, præter DEUM; vel ratione sui territorij.

VII.

*Requisita generalia imperativa convocationis  
sunt: dūrāmis avaykasini, potest as imponens necessitatē  
parendi,*

parendi, potestas præstandi salvum conductū, & de-  
creta subditorū confirmandi, ac per leges sanciendi  
&c. Hec omnia competit principi, ut princeps est,  
& à principe etiam non Christiano præstari possunt.

Speciale requisitum est vero ob hunc seuregiam pote-  
stas, circareligione, & personas, ac res Ecclesiasticas.

Proprietates potestatis hujus circa bonum Ecclesiasticum sunt. 1. Quod illa  
non sit absoluta, sed adstricta, & sub DEO; Ut enim potestas circa bonum civile  
occupata alligatur naturali juri & æquitati: Sic potestas circa bonum Eccle-  
siasticum est verbo DEI alligata. Hinc quando Princeps consilio ministerij,  
& consensu reliquæ Ecclesiæ edicta de religione promulgat, per illa edicta  
non dignitur nova religio, nec religio sit divina, certa aut credenda, sed ejus  
tantum exercitiis constituuntur, conventus ad controversias discutieandas in-  
dicuntur, consistoria ordinantur. 2. quod sit externa, non interna potestas. Exter-  
na est, quæ circa Ecclesiastica exercetur quidem, non tamen Ecclesiastice: Inter-  
na autem potestas circa Ecclesiastica dicitur, quæ in Christo est αὐτεξόνος,  
in ministris verbi ministerialis, & exercetur Ecclesiastice, hoc est, docendo, sol-  
vendo, & ligando peccata, Sacraenta administrando &c. Unde ratione po-  
testatis Ecclesiasticæ internæ principes sunt oves, legatis DEI se submittunt,  
& audiunt eorum objurgationes, quemadmodum David Nathanis, 2. Sam.  
12. 7. 8. Asa Obedi. 2. Chron. 15. 2. 3. 4. Josaphath Jehu Prophetæ. 2.  
Chron. 19. v. 2. 3. Sed iidem ratione potestatis, non tantum politicæ, verum  
etiam Ecclesiasticæ externæ, sunt pastores. Inde est egregia illa vox Constan-  
tini Magni, Episcopos sic alloquentis: *Vos intra Ecclesiam seu templum; Ego  
extra Ecclesiam à DEO Episcopus sum constitutus.*

Prætermagistratus, vel simpliciter, vel in suo  
territorio summus, nullus potest imperare concilia.

Pontificij tribuunt soli Papæ potestatem cogendi Concilia Oecumenica;  
Ideoq; duo sunt contra illos probanda, 1. potestatibus supereminentibus proprium  
esse hoc ius, & 2. nec Papæ, nec ulli alijs insuper, competere. Prius membrum ex-  
ceptivæ nostræ enunciationis confirmamus 1. A generalibus requisitis conve-  
cationis Concilij. Qui enim potest imponere necessitatem conveniendi, &  
præstare salvum conductum, ille potest synodus, quæ cœtus est legitimus,  
convocare. Magistratus summus hæc potest. E. i. A speciali requisito convoca-  
tronis. Qui potestatem habet suo gelunq; externam circa res, & personas Ec-  
clesiasticas, ille potest convocare Concilium, quatenus cœtus est Ecclesiasti-  
cus: sed summus magistratus habet potestatem illam. E. Nam bonum, ad

A 3:

quod.

VIII.

Euseb. lib. 4.  
de vita Con-  
stant. c. 4.

IX.



130 quodparandum, & conservandum minister D<sup>e</sup> i est magistratus, Rom. 13.  
v. 4. non tantum est civile, sed & Ecclesiasticum. 3. ab exemplis imperatarum  
a magistratu synodorum. Tales synodi sunt a Mose, Deut. 31. v. 1. 28. v. 30.  
Iesua, c. 23. v. 1. 24. v. 1. Davide. 1. Chron. 13. v. 1. c. 23. Salomone, 1. Reg. 8.  
v. 1. Ezechia, 2. Chron. 29. v. 4. Josia 2. Reg. 23. v. 8. & aliis in Ecclesiâ Ju-  
daicâ summis magistratibus coactæ, quibus unis hæc potestas tributa,  
non autem summo Pontifici. In Ecclesiâ autem N. T. idem confirmant quatuor

ilia Concilia Oecumenica, quæ singula ab Imperatoribus Romanis sunt con-  
Euseb. lib. vocata. Nicenū nempe a Constantino Magno Nicæa in Bithyniâ, testibus Eu-  
10. cap. 6. de sebrio, Socrate, Theodoreto, Ruffino, Sozomeno, teste tandem & ipso Conci-  
vita Con- lio, & Constantini literis tom. 1. Concil. Constantinopolitanum primum con-  
stant. lib. 3. tra Macedonium & πνευματικάχρε coegerunt Gratianus, & Theodosius  
e. 6. ut est apud Theodoretum. Ephesinum primum Theodosius junior indixit.

Socrat. lib. 1. Evagrius Chalcedonense deniq; Episcoporum 630. Eutycheti, Constantinopo-  
cap. 8. lis, & Diōscoro, Alexandriæ episcopis, opposuit Martianus Imperator, ut  
Theod. lib. est apud Leonem. Quæ verò in contrarium afferuntur exempla a Pontificiis,

2. cap. 4. ea ipsa sunt Antichristi, supra omne, quod Deus dicitur, se extollentis, argu-  
Sozom. lib. menta, decreta verò Pontificum quæ jactant, de domo ac finu sunt. Neq; ut in  
1. c. 17. Concilio Basiliensi pronuntiatum est, considerent miseri, quod quæ predicant  
tripart. hist. tantopere herba, aut ipsorum summorum Pontificum sunt, simbrios suas exsen-  
lib. 2. c. 14. dentium, aut eorum, qui eis adulabantur. Memorabilis autem est vox Socratis  
Theod. lib. in præsat. lib. 5. scribentis: τὰ τῆς ἡμιλησίας πνεύματα dependisse ab  
7. cap. 7. Imperatoribus, qui primi Christianam fidem assenserint, ut maxima Concilia  
tripart. hist. semper de eorum sententia fuerint congregata. Et Hieronymi, cum Russinus ipse  
lib. 9. c. 12. autoritatem cujusdam Concilij objecisset. Dic quisnam Imperatorum jussit  
Evag. lib. 1. celebrari id concilium? Posterius autem membrū: Nulli alij competere hanc  
cap. 3. potestatē mandandi concilia probamus: 1. ab amplitudine potestatis superemi-  
tripart. hist. nentis. Quia omnes homines, nemine excepto, sunt subiecti potestatibus su-  
lib. 12. c. 5. pereminentibus, & obedientiam debent in iis rebus, in quibus illi potesta-  
Leo Epist. tem, & pastoris rationem obtinent, Rom. 13. v. 1. Omnis anima in potestate est, 43. 53.  
Hieronym. subiecta sit supereminentibus potestatibus. 2. à signo. Nam Leo Papa cū omnibus  
in Apolog. sacerdotibus Imperatori cum gemitibus & lacrymis supplicat, ut intra Ita-  
contra Ruf- liam Concilium celebrari jubeat, teste Evagr. lib. 1. c. 10. & ipse Leo in Ep.  
fan. 26. ad Pulcheriam fatetur: Scripsimus ad Principem de habendo intra Italianam  
concilio, quod ut mereamur obtainere, pietas tua supplicationem nostram apud  
clementissimum Principem dignetur afferere. Ubi hīc potestas illa, quam Bel-  
larminus in cogendis omnibus adscribit Papæ? Retexamus verò confusam  
simul & improbam ejus probationem: Quicunq; a Christo concessam habet au-  
toritatem, catu Ecclesiasticos congregandi, ille potest consilium convocare: Papa  
habet autoritatem talem. Ergò potest concilium convocare. Majoris  
rationem affert ex dicto Matth. 18. v. 20. In nomine Christi congregari est  
ab eo, qui a Christo habet congregandi autoritatem, congregari. Omne concilium  
Ecclesiasticum

131

Ecclesiasticum in nomine Christi est congregari dicitur. Ergo omne Concilium ab eo, qui à Christo congregandi autoritatem habet, congregari debet.

Minorem autem principis syllogismi stabilit dicto Johan. 21. v. 17.  
Pascere oves meas.

Fundamentum majoris ruinosum apparebit adducta phrasēos (*in nomine Christi*) ambiguitate. Nam 1. significat simulare nomen Christi & se p̄cō. Christo venditare Marc. 13. v. 6. quod Matth. c. 24. v. 5. explicat per ὅτι  
τοῦ οὐρανοῦ, sub nomine Christi venire. 2. significat usurpationem nominis Christi ad aliquam actionem Marc. 9. v. 31. 3. in nomine Christi est mandato illius aliquid agere, simpliciter & etiā studium implendi finem mandati divini. Possunt enim multa fieri, quæ Deus mandavit, non tamen ex proposito obediendi mandato D E I. Sic Marc. 3. v. 23. ad Christi convocationem adsunt Iudei, qui tamen blasphemant, & dicunt, ipsum per Beelzebub ejicere dæmonia; 4. vel in nomine Christi aliquid agere est cum simul & mandatum, & conditionem, ac finem, qui est obedientia, & D E I gloria nostra ac proximi salus, nobis propositum habemus. Ideoq; Matth. 19. v. 29. hæc phrasēis effertur: ἐνεστὸν ἀνόμως μηδέποτε. Evidentior adhuc explicatio est Marc. 9. v. 41. ubi potum dare aliis in nomine Christi, est, prōpterea dare, quod sunt Christi. Sub hac significatione continetur illa specialior, qua in nomine Christi est idem, quod demandata vice, & legationis autoritate aliquid facere; idq; vicissim vel simpliciter, quomodo operarii iniquitatis in nomine Christi prophetant, Matth. 7. id est, habent legitimam vocationem, ut sint legati Christi, sed ipsi sunt increduli: vel cum proposito implendi conditionem & finem mandati. Ita Marc. 16. v. 17. ii. qui crediderint, dicuntur in nomine Christi signa facturi sub initium primitive Ecclesie. Hæc tamen significatio est circa 500 tantum. Non enim, quæ ad mandatum divinum fiunt, omnia vice & ut à legatis D E I, fiunt, ut cum precamur, credimus, laudamus D E U M. Jam ex hac explicatione ambiguitatis, manifestum est, in nomine Christi congregari, hoc loco idem esse, ac ipsius mandato convenire ex propositio fidei finem mandati respiciente. Id quod amplius probari potest, 1. ex contextu, quia huic congregationi spondet gratiosam presentiam, 2. ἐξηγησει Marci c. 11. v. 24. Omnia, quæcumque precando petibitis, CREDITE vos accepturos, & evenient vobis. Id autem quæritur, an mandatum hoc de congregatione piorum universaliter includatur delegationis autoritatem aut vicem, ut qui in nomine Christi congregantur, omnes vice Christi congregentur. Bellarminus affirmit, Nos negamus: Agit enim CHRISTUS etiam de precibus, ut versus precedens, cui hic per particulam αὐτολογικὴν, γὰρ cohæret, satis declarat. At verò Christi vice non precamur, non credimus, non Spiritum sanctum accipimus, & alia dona, quæ ipsius gratiosa præsentia confert. Porro quamvis aliqui ex congregatis in nomine Christi, sint ministri Ecclesie, & vicem Christi.

J IX

J III R

J III A

J III O



Christi gerant: non tamen illis dominatum, sed ministerium vicarium vocati sunt. Proinde & minor syllogismi falsa est, nec potest ex loco Joh. 21. v. 17. deduci: Pascere enim non regimen in genere, sed modum certum, hoc est, mentem & affectu pastoris suscepit curam regiminis ac potestatis exercenda significat. Insuper potestas Petro concessa non est dominica v. 11. Sed ministerialis, in recte administrando animæ pabulo, hoc est, verbo & sacramentis &c. occupata, aliis etiam ministris Ecclesiæ communis, Act. 20. 28. 1. Pet. 5. 2.

## C A N O N E S.

X. 1. Precariò non possunt nisi particulares synodi convocari.

XI. 2. Precariò non convocantur concilia, nisi tempore persecutionis.

Si enim Magistratus non est persecutor & lupus, qui tales synodos impletat, quod suspicio coitionis & factionis vitetur, omnino ab ipso impetrari conventus debet, quod vult lex imperatoria lib. 1. ff. de colleg. illicit. L. concilicula C. de Epistop. & presbyteris: neq; ipse Bellarminus lib. 1. de Concil. c. 13. §. Habemus ergo, diffiteri potest. Quando vero Metropolitani etiam jubent proviciales conventus, tum hoc faciunt auctoritate summi magistratus, qui vel generatim, vel speciatim, vel expressè, vel tacite, hoc Ecclesiæ pastoribus concessit.

XII. 3. Concilia mandantur à magistratu vel fidi, vel infideli quidem, sed tamen religionem tolerante.

XIII. 4. Magistratus infidelis religionem tolerans non nisi generale jus imperadi conciliū usurpat, & illud cogit, quatenus est conventus legitimus, vel etiam ut religiosus, non tamen vera religione addictus?

Aristot. 3. Nam potestati regiæ jure Gentium competit dispositio & moderatio circa Polit. c. 14. religionem aliquam, quemadmodum Aristoteles scribit, *Lacedæmoniorum reges & belli imperium habuisse, & rei divinæ cultum exercuisse, nisi talia essent, quæ sacerdotium requererent, idq; veteribus temporibus universale jus regū fuisse*. Idem confirmat historia Nebucadnezaris, edictū promulgantis de

Aristot. 6. adorandā imagine aurea Dan. 3. v. 3. Unde Philosophus νομοθελην̄ dicit esse Eth. 6. αρχιτεκτονην̄, hoc est, principē facultatē, quia leges fert circa quodvis bonū Republicæ, easq; interpretatur ac tuetur, atq; etiā pro religione imperat.

3. Fidelis

133.

Fidelis autem magistratus Ecclesiasticum Con- XIV.  
cilium, secundum propriam ejus naturam, & qua-  
tenus Ecclesiasticum est, convocare potest.

Ille enim ex verbo DEI cognitum habet, quod sit verum bonum Ecclesiasticum, propterea & potestatem circa religionem, non ut aliqualem, sed ut orthodoxam, potest exercere, & subditos suos regere ut Christianos. Quia causa est, quod antequam Imperatores Christianam religionem reciperent, non potuerint Concilia imperari. Id quod nervosè exponit Augustinus Epist. 43. ad Vincentium: Non invenitur exemplum regum in Evangelicis & Apostolicis Literis pro Ecclesia & contra inimicos Ecclesie: Quis negat inveniri? Sed nondum implebatur illa prophetia, & nunc Reges intelligite, erudi-  
mini, qui judicatis terram, servite Domino in timore. Adhuc enim implebatur, quod in eodem Psalmo legitur: Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? Adfiterunt reges terre, & Principes convenerunt in unum, ad-  
versus Dominum, & aduersus Christum ejus. Idem latius epist. 50. ad Bonifa-  
cium Comitem persequitur. Quod dicunt, qui contra suas impietas leges justas constitui nolunt, non petiisse a regibus terre Apostolos talia, non considerant aliud tunc fuisse tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator, qui pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc illud Propheticum implebatur. Quare fremuerunt Gentes &c. Nondum agebatur, quod paulo post in eodem Psalmo dicitur: Et nunc re-  
ges intelligite, servite Domino. Quomodo ergo reges serviunt in timore, nisi ea que contra iussa Domini sunt, religiosa severitate prohibendo atq. plectendo?  
Aliter enim servit quia homo est, aliter etiam quia & Rex est. Quia homo est, in-  
servit DEO vivendo fideliter, quia vero rex est, servit leges justa praeципientes &  
contraria prohibentes convenienter vigore sanciendo; sicut servivit Ezechias, lu-  
cos & templi idolorum, & illa excelsa, que contra DEI mandatum fuerant con-  
structa, destruendo; sicut servivit Josias, talia & ipse faciendo, sicut servivit rex  
Ninibitarum universam civitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut  
servivit Darius idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos leo-  
nibus ingerendo; sicut servivit Nebucadnesar omnes in regno suo positos a blas-  
phemando DEO lege terribili revocando. In hoc ergo serviunt Domino reges in  
quantum sunt reges (scilicet Christiani) cum ea faciunt ad serviendum illi, que  
non possunt facere, nisi reges, &c.

Convocatione imperativa coguntur tum parti- XV.  
cularia, tum Oecumenica Concilia.

Particularia possunt mandaritam à summâ ma- XVI.  
iestate, quam à cuiuslibet territorij Domino.

B

Nam qui-



Nam quilibet Principum idem juris possidet in suo territorio, quod supremus in universo imperio. Exempla autem talium Conciliorum multa sunt in secundo tomo Conciliorum, in quo à rege Hispaniæ Concilium Toletanum tertium, duo Braccarensia, nec non alia novem Toletana leguntur coacta, itemq; à rege Francorum Aurelianense, Avernense, Parisiense &c.

Tom. 2.

Conc. p. 859.

Tom. 2. & 3.

Concil.

XVII.

Bell. lib. 1.

de Conc. c.

12.

Socrat. lib. 2.

c. 20.

XVIII.

XIX.

XX.

XXI.

Oecumenica autem non nisi ab Imperatore cogi possunt.

!deo Lutherus putat etiam dicta esse Oecumenica, quod ab universalis omnium Domino imperatore cogantur. Nec est, quod Bellarminus objiciat, Imperatorem non posse omnes cogere, utpote sibi non subjectos. Potesit enim alios in maiestate constitutos movere, ut & ipsi de suis Ecclesiis mittant legatos, quemadmodum autoritate duorum regum Constantij & Constantini, Sardicensis synodus fuit indicta, teste Socrate.

## CAPUT SECUNDUM.

Ad Concilium veniant viri ex diversis Ecclesiis, provinciarum, nationum, vel orbis Christiani.

Dico viros, non foeminas, nisi extra ordinem divinitus sint vocatae, alioquin mulier taceat in Ecclesia. 1. Cor. 14. v 34. 35.

Conditiones talium sunt 1. ut si ad suffragiae etiam adhibendi sunt, publicâ autoritate veniant, sive Ecclesiæ, sive comprovincialium nomine.

Oportet ergo ut legati Ecclesiarum sint literis synodalibus, aut encycliis & justo comitatu instructi, ad res Ecclesiarū, à quibus delegati sunt, testandas & communicandas, probandamq; fidem & operam suam tam synodo, quam iis, quorum causa comparent. Sic Lucas Act. 15. dicit Paulum & Barnabam ab Antiochena Ecclesiā πεσοπεμφθέντες venisse: ωργόπεμπτος enim est non tantū mitti, sed etiā publico nomine ac comitatu deduci Act. 20. 38. & 21. v. 5. Possunt vero & alij, qui sine autoritate Ecclesiæ veniunt, admitti, & vel solū audire, vel etiam consultationibus adhiberi, præsertim docti, ut in Niceno concilio factum est, ubi disputarunt etiam Philosophi ad præparationē & discussionē rerū controversiarū, licet actis decisionū perscriptionumq; fidei, nō interfuerint, ut testatur Gelas. in actis Syn. Nicanor Ima, Niceph. l. 8. c. 2.

Deinde sint potentes in scripturis, & sensus in iis habeant exercitatos.

Eos enim, qui Prophetæ non sunt, æquum est silere & audientiam præbere, ac sanctis definitionibus assentiri 1. Corinth. 4. v. 32.

3. Sint prædicti vitæ sanctitate, graves, prudentes,

135

tes, moderati, & Zelo Dei ac salutis hominum, nec  
non amore veritatis divine & pacis Ecclesiasticae  
flagrantes.

4. Sint liberi, & nulli, vel personae, vel Ecclesiae XXII.  
in pronuncianda sententiā, sed sōli Deo, ejusq; ver-  
bo obstricti.

Vide Augustinum lib. 2. contra Donatistas c. 2. & Flacium latē de his re-  
quisitis agentem parte secundā clavis Scripturæ fol. 706. 708. & seq.

Sunt verò assessores Conciliorum diūm gene- XXIII.  
rum; Ecclesiastici, & quos vocant, Laici.

Ecclesiastici vicissim non tantum Episcopi, sed XXIV.  
& presbyteri ac Diaconi.

Laici vel in officio publico constituti, vel privati XXV.  
sunt.

Ita ex omnibus Ecclesiaz ordinibus, qui quidem tunc in Ecclesia fuerunt,  
constitit Concilium Hierosolymitanum Act. 15. v. 22. deq; Concilio Niceno  
Imo, idem prolixè testantur Sozomenus, & Theodoret. Unde conciliū solet ap- Sozomen.  
lib. I. c. 16.  
pellari Ecclesia representativa, non quidem quoad singula generum, sed ge-  
nera singulorum, quod constet ex omnibus ordinibus Ecclesiarum, qui apud Theodor.  
nos in Doctores & auditores, apud Pontificios in Clericos & Laicos dispe- lib. I. c. 10.  
scuntur.

### CAPUT TERTIUM.

Officium missorum ad concilium est judicium XXVI.  
ferre de rebus fidei & disciplina Ecclesiae.

Idea quedam hujus rei est in Concilio Hierosolymitano Act. 15. ubi con-  
gregati sunt Apostoli & Seniores, ut dispicerent de sermone hoc, scilicet Pha-  
risæorum conversorum v. 6. & postea v. 22. dicitur ἐδοξε Ἀποστολις & Pres-  
byteris cum totâ Ecclesiâ. Quamvis autem v. 6. tantum memorentur Apo-  
stoli & Seniores, qui convenerint ad dispiciendum: Tamen fit etiam ibidem  
mentio sermonis, qui à conversis Judæis habitus est, nempe in Concilio, ubi  
surrexerant, v. 5. Præterea & alij Fratres cum Apostolis sentientes subintel-  
liguntur, tūm quod aliqui Presbyteri essent Ecclesiastici, aliqui etiam Laici  
I. Timoth. 5. v. 17. Tum per synecdochen partis prototo, quam veluti no-  
tam

136.

tam usurpat Lucas, quia mos hic erat Apostolorum, ut in causis communibus convocarent Ecclesiam, quemadmodum ex Act. 6. v. 5. videre est. Ideo postea v. 17. hujus capituli dicit totam multitudinem siluisse. Gemina synecdoche est in cap. 16. v. 4. ubi decreta synodi illius Hierosolymitanæ vocantur δόγματα τὰ κεντρικά ὑπὸ τῶν απόστων καὶ πρεσβυτέρων placita illa quæ decreta fuerant ab Apostolis & senioribus cum tamen, jam ante c. 15. v. 22. scripsiterit Lucas ἐδοξενισμένον εἶναι Apostolis & senioribus cum totâ Ecclesiâ. Quod vero etiam Laici interfuerint, & expresum, ac non tacitum duntaxat ediderint consensum, patet i. ex θεοπομπῇ Antiochenâ v. 3. facta ab Ecclesia, & simili adventantium Hierosolymam exceptione per Ecclesiam, Apostolos & Presbyteros v. 4. Deinde ex decreti executione v. 22. & subscriptione, quæ indicium est suffragij decisivi v. 23. Hæc πρᾶξις postea in Oecumenicis quoq; conciliis primitivæ Ecclesiæ sancte observata fuit, quemadmodum eam testatissimam faciunt historiæ. Unum è multis adducimus exemplum concilii Nicenæ primi, in quo non tantum Episcopi & Presbyteri, sed & Politici ac privati praesentes fuerunt eo, quo diximus, modo. Nam de Constantino memorat Eusebius ipsum fuisse κοινὸν Θρησκοπον & sedisse ἐν μέσῃ διατελεῖν in mediâ frequëtia κοινωνὸν τῶν Θρησκοπυμένων id est participem eorum quæ in concilium mittebantur, & Sozomenus 4. de eodem habet, quod voluerit Θησελέστας determinare. Unde apud Socratem ipse Constantinus ait: καὶ αὐτὸς τὴν τῆς αἱληθείας ἐξελέσαντας εἰδεῖαι-  
ανη id est, Ipse veritatis disceptationem suscepit. Et apud Eusebium: Ego nobis-  
cum interfui, & fui sicut unus ex vobis. De Laicis autem, quod diximus, con-  
firmat memorabilis historia illius idiotæ, qui sophistam ex scripturis in con-  
cilio hoc convincit, & convertit teste Socrate & Sozomeno. Delirat ergo Bel-  
larmus, qui negat plebem esse ad concilium vocatam, & propterea eam non  
habuisse votum decisivum, ac partes suffragandi tantum Prælatis ma-  
joribus hoc est Episcopis ordinariis, ex privilegio autem & consuetudine Car-  
de concil. c.  
15. 16.

Euseb. lib. 1. c. 37.  
Sozom. lib. 4. cap. 16.  
Socrat. lib. 1. c. 9.  
Euseb. lib. 3. de vita Con. stant.  
Socrat. lib. 6. c. 8.  
Sozom. lib. 1. c. 18.  
Bellar. lib. 1. de concil. c.

XXVII.

*Ad judicium autem Synodicum requiruntur quatuor:*

1. Plena controversie perceptio:

Sic Act. 15. dilucidè proponitur status controversiæ v. 5.

2. Accurata disceptatio de controversiis.

Nám & in saepius laudato jam Hierosolymitano Concilio magna dicuntur συζήτησις hoc est disceptatio fuisse v. 6. Fiat vero disceptatio non per rhetoricationes, sed per Dialecticas argumentationes, & vitetur omnis Sophistica, ac præcipitantia &c. de quibus diqto loco plura docet Flacius.

3. Matura:

3. Matura & gravis deliberatio, quā argumenta utring;  
adhibita ponderentur, & que pro veritate faciant, commen-  
dentur.

Ita sit in Synodo Apostolicā, ubi pro verā sententiā, quod sine operibus Ie-  
gis per fidem in Christum salvemur, affert Petrus rationes. 1. à visione cœlesti  
de Gentibus, legem non habentibus facta, v. 7. Deinde à signo purificationis  
cordium, hoc est, justificationis gentium per fidem, nempe effusione Spiritus  
sancti v. 8. 3. ab absurdā & impossibili legis impositione, cum illa sit & tentatio  
DEI, & in se absurda v. 10. Deniq; ab inductione omnium, qui salvati  
sunt v. 11. Paulus verò & Barnabas aliud argumentum adhibent, nempe à  
miraculosis effectis, quæ Deus per ipsos in Gentibus, quæ tamen legem  
Moysis non habent, ediderit v. 13. Jacobus deniq; reliquorum testimonia  
confirmat à consensu Scripturæ ex Amos c. 9. v. 11. ostendens etiam Gentes  
debere esse tabernaculi Davidici, hoc est, regni Christi consortes, atq; ita per  
legem Moysis salutem non contingere.

4. Determinatio & sententiæ dictio, quā bona fide à convoca-  
torum singulis suffragium ad sententiam synodicam omobuμαδὸν  
efficiendam confertur.

Rursus hoc nititur exemplo synodi Apostolicæ, in quā expositis pro verā  
sententiā rationibus Jacobus decisivum votum profert: Quapropter ego  
κείμενον id est censeo v. 19. eumq; cæteri in Concilio sequuntur ὁμοθυμαδὸν  
dogma synodicum statuentes, idq; Ψήφισμα tandem subscribunt, & epi-  
stolæ ad Antiochenam Ecclesiam datæ inserunt.

Objectum circa quod versatur hoc officium XVIII.  
Conciliij primarium est religio, id est, rectus de Deo  
sensus, ejusq; cultus. Secundarium est disciplina  
& politia Ecclesiastica.

Præscribitur ergo hic i. ordo, qui juxta Conciliij Carthaginensis Can. 7. hic  
teneatur, ut quæ majoris momenti sunt, nempe res fidei, primò in consi-  
lium mittantur & determinentur; Quia fides debet esse omnium: de disci-  
plinâ postea sive Politia Ecclesiastica examen instituatur, quia illa pro diver-  
sitate Gentium & circumstantiarum salvo vinculo fidei, differre potest  
Ad: 15. 19. 20. 21. Rom. 14. 1. Cor. 7. 8. modò omnia fiant ad ædificationem  
& sine scandalo proximi. 2. excluduntur à disceptatione & deliberatione sy-  
nodica alia materia, quales sunt contentiones de Episcoporum opibus, po-

tentia, privilegiis, de schismate, de principum iure & præminentibus, item de bello Turcis inferendo. De illis dispicere ad singulas Ecclesias pertinet, quarum sunt Episcopi: Ista ut & hæc ad comitia spectant: Regnum enim Christi non est de hoc mundo, Job. 18. v. 36. & arma Ecclesiæ sunt spiritualia 2. Corinth. 10. 4.

## XIX.

*Norma actionum synodarum in rebus fidei nica est scriptura sacra.*

Ad illam enim unicè sumus adstricti in examinandis & decidendis controversiis 2. Pet. 1. 19. 20. 21. 2. Timoth. 3. 15. 16. 17. Esa. 8. 20. Luc. 16. 6. 29. Itaq; non credendum est hodie concilio, nisi decisionum suarum verè, & citra fucum prætendere potest obsignaculum: Vixum est scripturæ, vel Spiritui sancto in scripturis loquenti, & nobis. Scriptura enim est religionis Bellar. lib. 1. canon unicus & invariabilis Gal. 1. 8. 9. cap. 6. 16. Falso autem contendit de concil. c. Jesuite, in concilio Hierosolymitano, non ex scripturis, sed ad suffragia Apostolorum definitam esse quæstionem. Nam & Jacobus expressè ait: *sicut scriptum est: v. 15. & de Petri assertione testatur, τέτωσυ Φωνάσι, huic consonant herba prophetarum.* Quamvis enim Apostoli non semper dialegdñs & nominatim allegent scripturam, tamen nihil extra eam dicunt Act. 26. v. 22. nec doctrinam novam condunt, sed è Prophetis repetitam illustrant, & impletam vel implendam ostendunt. Quod vero insuper allegat Petrus etiam testimonium patefactionis divinæ in visione Act. 15. v. 7. id propterea facit, quia sub initium novi Testamenti nondum completo canone geminum erat principium fidei: Patefactio per visiones & inspirationem immediatam, & sacra scriptura. Quemadmodum in V. T. cum adhuc duraret Urim & Thumim, duplex erat norma pronunciandi: Una erat oraculum divinitus apud arcam fæderis extraordinariè promulgatum de rebus dubiis & obscuris, Deut. 17. v. 11. Facies secundum os Verbi, quod annunciat tibi è loco illo, quem elegit Dominus; altera vero erat scriptura sacra: Et secundum os legis, quam annunciat tibi, Et secundum judicium, quod judicabunt (ex lege illa) facies. Proinde cum Apostoli postea scribunt: *Vixum est nobis & Spiritui sancto, intelligunt ejus, & in scripturâ loquentis, & per visionem, atq; inspirationem immediatam sese revelantis, voluntatem.* Completo autem N. T. canone non amplius durant visiones & inspirationes immediatae. Nam tempus Messiae & Apostolorum est ultimum, revelationis talis respectu, Act. 2. 6. 17. Joan. 4. 6. 25. Hebr. 1. 6. 1. Ideo post illud tempus mediataè tantum, & non nisi per verbum scriptum Deus nos instituit. II. Porro Apostoli, licet inspirationis dono prædicti, non tamen prætoriam ferebant sententiam, qualem sibi Pontificij arrogant de rebus fidei, sed juxta revelationem divinam, & prout Spiritus illis dabat eloqui, Act. 2. 6. 4.

In

139.

In adiaphoris autem & ritibus ad ordinem &  
decorum Ecclesiarum pertinentibus, ad cuiuslibet  
Ecclesiæ status, ut & circumstantias, locū, tempus,  
ac personas est attendendum, hac semper addita  
cautione, 1. ne rituales illi canones Scripturæ sacrae  
repugnant, 2. ne superstitionem habeant admi-  
xtam, 3. ne laqueum conscientiis injiciant, 4. ne  
numero plures sint, aut exercitio graviores, quam  
ut facile observari possint, 5. ne Ecclesiis præcida-  
tur libertas mutandi, addendi, demendi, prout edi-  
ficatio postulabit.

XXI.

Sic decretum Apostolorum de idolothytis & suffocato tunc temporis  
factum propter infirmos fratres, ne illi liberiore usu Christianæ libertatis  
offenderentur; Postea à Paulo relaxatum est, cum Pseudoapostoli doce-  
rent, abstinentiam ab idolothytis ad salutem esse necessariam, 1. Cor. 10. 6. 25.  
Omne quod in macello venditur, edite, nihil discernentes propter consci-  
entiam. Col. 2. 16. Nemo vos judicet in cibo & potu. Similiter dogma seu pla-  
citum Apostolorum de suffocato & sanguine nō comedendo, hodiē neminem  
obligat in conscientiâ, quia ad certum tempus, ratione infirmorum Judæo-  
rum, antequam synagoga cum honore sepeliretur, sanctum fuit. Vide August.  
lib. 32. contra Faustum c. 13. Atq; de harum rerum adiaphorarum succedanea  
mutatione, non autem totius desreti à synodo Apostolica conditi abolitione, Bell. lib. 2.  
loquitur Lutherus lib. 1. de Concil. part. 1. ut propterea immoritò Jesuitæ vir- de conc. c. 7.  
gulâ censoriâ feriatur.

Præses actionum synodarum est vel summus,  
vel subordinatus.

XXI.

Præses summus est, qui ponit legem conscien-  
tiis, ut secundum nutum & verbum suum unicè  
pronuncietur.

XXII.

Subordinatus præses est vel εξοτακιός, habens  
autoritatem, vel διορθωτής, directivus.

XXIII.

Præiden-

140.

**XXIV.** *Præsidentia ἐξοικείη est munus imperandi ordinem in concilio & prohibendi vim externam, decreta legitime facta sanciendi, & dimitendi legatos Ecclesiarum. Directiva præsidentia est munus proponendi agenda, disceptationes moderandi, rogandi sententias, notariis exhibitis colligendi, & totam illam Ecclesiasticam actionem juxta leges synodicas dirigendi.*

### CANONES.

**XXV.** *Præsidentia suprema non nisi Christo & ejus Spiritui competit.*

Christi enim vox unicè audienda Matth. 3. §. 17. & c. 17. §. 5. & Spiritus nos in omnem veritatem dedit, Joh. 16. 13.

Subordinata præsidentia, quæ est autoritativa, magistratus est propria:

Directiva potest obiri vel à magistratu quoq; ipso, vel ab ejus legatis, vel ab Ecclesiasticâ personâ, aut alio quodam ex assessoribus.

Ita in concilio Judaico David fuit etiam director, ac monitor, & Levitis preces ac gratiarum actionis formulam tradidit, 1. Chron. 16. v. 7. Et Josias rex legit omnia verba libri fœderis 2. Chron. 34. §. 30. In Chalcedonensi Concilio Martiani imperatoris legati utrumq; præsidatum tenuerunt. In Concilio autem Nicæno Hosius: In Ephesino primo Cyrius, Ecclesiastici præfides fuerunt, imperatoribus ἐξοικείην præsidentiam obeuntibus. Commadissimum autem est, ut à diversi ordinis personis distinctus ille præsidatus peragatur.

Bell. I. 1. c.  
19.

Blasphemus ergo est Bellarminus, dum summam præsidentiam dicit à Christo esse delegatam Papæ, eidemq; etiam Ecclesiam Christi ac Concilium subjicit, ita ut vice Christi omnium controversiarum sit judex, cui obtemperare debeat fraternitas universa. Deinde vagatur extra oleas Jesuita, quando ex præsidentiâ subordinatâ dominium Papæ vult confirmare, & hoc fine sed contra omnium historiarum fidem pugnat, ac contendit solum Papam fuisse in

141.

Fuisse in Conciliis praesidem & directorem. Ut enim maxime praesidatum subordinatum obtinuerit, non tamen sequeretur, illa, quam sibi arrogat, in Ecclesia dominatio & supra concilium eminentia in rebus fidei. Magistratus enim licet cum autoritate praesideat, non tamen dominatur conscientiis, aut jubere potest, ut assessorum hoc vel illo modo ex ipsius lubitum determinent: Quamvis ipse, tanquam coordinatus judex, ḍmēā ἀλογες ad communem sententiam synodicam cum aliis conferat. Judicium enim ferre in Concilio, non est praesidis, sed totius synodi, quae ex singulorum assessorum suffragiis tanquam partibus juxta verbum Dei examinatis, totam sententiam synodicam condit.

## CAPUT QUARTUM.

Finis synodorum est gloria Dei & salus Ecclesiae: scopus est veritatis cœlestis melior assertio, heresum damnatio, ac vitiorum in disciplinâ, nec non abusuum in adiaphoris felicior remotio.

XXVI.

Cum enim diversa sint χαρτουα, nec omnia membra in corpore Christi mystico seu Ecclesia sint oculus, ideo quando plures conveniunt, veritas communis studio inquiri potest, & quod alter, vel etiam plures permanent statuunt, ab aliis vel uno etiam ex sacris literis corrigi, ut Paphnutij ex Socrat. lib. I. emplum ostendit, quod describit Socrates, Sozomenus, Nicephorus & Cedre. c. 8. nus. Accurior quoque est censura disciplinae, quæ à pluribus fit. Nec male Sozom. lib. Innocentius apud Gratianum distinct. 20. c. de quibus. Facilius insenit, i. c. 22. quod à pluribus senioribus queritur. Verus enim re promissor ait Matth. 18. 6. 20. Niceph. lib. Si duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. 8. c. 19. Sed Atq; has etiā utilitates exhibet Concilium Apostolicum, in quo i. conversorū in Synop. Phariseorum erronea opinio de justificatione rejicitur, 2. Scortatio, quam Gentes pro peccato non habebant, vetatur, & denique de adiaphoris, quæ sunt comestio idolothitorum & sanguinis ac suffocati, disponitur. Sic in Concilio Nicæno Arry: in Constantinopolitano Macedonij, in Ephesino Nestorij, in Chalcedonensi Eutycheti hæresis damnatur. Videtur his, quæ diximus, obstat Nazianzeni autoritas, qui in Epistol. ad Procopium. 42. sic scribit: οὐαὶ μὲν τοῖς, εἰ δεὶ ταῖς ληθεῖς γερίφειν, ὡς πάντα σύλλογον φέυγειν ὅπισκοπων, ὅτι μηδεμιᾶς συνόδῳ τέλος εἶδον χειρον, αὐτὸς λύσιν πανῶν μᾶλλον ἔχην νίας ηὐεργεσίην &c. Ego vero si bene scribere oportet, ita animo affectus sum, ut omnia episcoporum concilio fugiam: quoniam nullius concilij finem latum faustumq; vidi, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem & incrementum habuerit. Sed hæc Nazianzeni verba non simpliciter & absq; omni restrictione sunt accipienda. Nam i. loqui-

C

tur de



tur de Conciliis quæ ipse vidit, hoc est suo tempore celebratis, ubi plurimum quassata fuit ab hæreticis Ecclesia. 2. infelicitas eventuum vel est per se, vel per accidens, vel simplex & absolute talis, vel secundum quid. Alia enim Concilia tempore Nazianzeni exitum per se in felicem habuerunt & simpliciter, quia celebabantur ab Arrianis, & Acacianis, blasphemias suas magis magisq; propagantibus. 2. quædam fuerunt quidem orthodoxa, sed finem ut proposuerunt apud omnes adeo feliciter obtinere non potuerunt, tum propter Tripart. hist. consultantium divisiones: tum propter potentiam & multitudinem adversorum, jaçtantum multitudinem Symbolorum, quibus etiam Sozom. lib. Imperatores subscribebant & orthodoxos persequentium, nec non contra- 4. cap. 22. rias, easq; multo plures synodos celebrantium. Ita Sardicense Concilium fuit Socr. lib. 2. orthodoxum & pro Athanasio, ad quod tamē pauci orientales advenerunt, &c. cap. 3. postea non expectato Concilij fine discesserunt, & cum aliis synodus Phi- Socr. lib. 2. lippoli in Thracia instituerunt Sardicensi oppositam. cap. 32. II I Quædam deniq; concilia tempore Nazianzeni in substantia doctrinæ Soer. lib. 2. orthodoxæ confirmanda salutarem eventum habuerunt, ita tamen ut in cir- cap. 14. 15. cumstantiis quibusdam disciplinæ, & quoad episcopatum administratio- Sozom. lib. nem dissensiones extiterint, atq; ita vel aliquorum saltem κακῶν non λύσις, 3. cap. 12. sed ὥροφήν fuerit subsecuta. Quare vero hoc? Causam expressè addit Na- Theod. l. 2. zianenus fuisse Φιλοεκκίας & Φιλαρχίας consultantium. Contigit hoc cap. 15. ipsum in Constantinopolitano, quod alterum œcumenicum fuit, Concilio. Nam in eo quidem veritas cœlestis de divinitate Spiritus sancti feliciter af- Socrat. lib. ffecta est, & Macedonianis causa cadentibus obtinuit. Non tamen defuerunt 2. cap. 18. contentiones & litigia in eligendis episcopis. Nam de sententia quidem Im- peratoris Nazianzenum, qui magno cum fructu Constantinopoli docuerat, & Ὅριοδοξίας ab hæreticorum strophis vindicaverat, multorum suffragiis dignus judicatus est, qui ad sedem episcopalem evehetur. Sed postea ad- venientes Αἴγυπτος & Μακεδονίας episcopi electionem non tantum Flaviani, loco Melety Antiocheni episcopi, qui in Concilio mortuus erat, jam ab aliis de- Theod. lib. signati, verum & Nazianzeni improbarunt & Maximum quendam Cynicum 5. cap. 7. & Apollinaristam substitutum voluerunt. Qua occasione Nazianenus paci- seq. publicæ consulens, ut ex ipsis apud beodoretū oratione videre est semet epi- Theod. l. 5. scopatu abdicat ac privatam vitam, quam tum natura sua tum maxime jam- atate confectus, amabat, eligens in prædium paternum Arianzum se recipit. Atq; inde ad Procopium principem, cum ab eo ad synodum vocaretur rescri- bit, se prorsus secum constituisse ad nullam episcoporum synodum venire, quia viderit in iis vulnera Ecclesiæ potius exulcerari quam sanari ob conten- tiones & ambitionem consultantium: tum ut in sola precum securitate & communicatione tranquillus & quietus viveret. Non ergo simpliciter & eo- dem modo de omnibus conciliis hæc sunt accipienda, quæ certarum con- ditionum respectu protulit Nazianenus. Nam certè multa in V. T. concilia salutarem exitum habuerunt, ut id quod à Davide, Ezechias,

Ezechia & Josia convocatum esse diximus, liquido demonstrat. Sic in N. T.  
 magno Ecclesiaz bono celebratum fuit concilium Apostolorum Actor. 15. &  
 quod jam ante Nazianzeni tempora coactum fuerat Nicænum 1. ubi Christi  
 divinitas feliciter, explosa hæresi Ariana, fuit defensa. Sane verò quæ est  
 Diaboli semper Zizania spargentis rabies, etiam felicissimè peractis Conci-  
 liis, tamen repullulant hæreses. Sed id non concilio tribuendum, verùm ho-  
 minum malitiæ. In Nicæno concilio quam fortunata omnium concordia  
 auspiciis Constantini Magni inita est, ut Imperator propterea impendio ga-  
 visus & hanc quasi secundam victoriam nactus, Ὁπίνιον ἐογένην festum tri-  
 umphale celebrarit. Euseb. de vit. Consta. Mag. lib. 3. c. 13. Sed enim post-  
 modum iterum dissensiones & contentiones integratæ sunt ut graviter ac  
 conqueritur Hilarius ad Constantiū Cæsarem: *Conscij nobis sumus invicem post*  
*Nicani conuentus synodum, nihil aliud quam fidē scribi: dum in verbis pugna est:*  
*dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de autorib[us]*  
*querela est: dum de studiis certamen est: dum alter alteri anathema esse cœpit,*  
*prope jam nemo Christi est.* Num verò hanc miscellæ religionis & confusa-  
 neæ disciplinæ maculam ipsi Concilio Nicæno imputabimus, quo nullum  
 post Apostolorum tempora augustius est celebratum? Deniq; si Ecclesiaz  
 omnino non essent proficia concilia, Imperator Justinianus non jussisset sta-  
 ta in singulis provinciis concilia bis in anno celebrari: frustra item Theodo- Novell. 123.  
 sis Junior, Martianus, Carolus Magnus, & alij pij imperatores synodos indi-  
 xissent. Quare si in nomine Christi conuentus tales instituantur & juxta  
 verbum DEI, omissis contentionibus οὐογναδὸν de controversiis dispicia- August. ep.  
 tur, etiam Augustini puncto: *Conciliorum in Ecclesia DEI saluberrima est au-* 118.  
*ritas.*

### Non tamen simpliciter sunt necessaria Concilia. XXVII.

Non sunt necessaria necessitate divini mandati, quia nuspian de iis in  
 specie mandatum expressum in scripturis extat. 2. non etiam simplice neces-  
 sitate medijs, quia sola scriptura est medium ordinarium & necessarium aver-  
 tendi hæreses. Sunt autem necessaria *necessitate expedientia*, ut vocant, hoc  
 est, ut finis, qui à Christianis singulatim ex scripturis haberi potest, ab iisdem  
 coniunctim per unicum illud controversiarum decidendarum princi-  
 pium, scripturam melius acquiratur. Alias consequens foret, sine conciliis  
 neminem hæreticorum & pacis Ecclesiastice turbatorem posse confutari,  
 cum tamen contrarium diversæ temporum periodi sèpissimè docuerint.  
 Euerunt Apostolorum, illosq; subsequentiæ ætate sectæ plurimæ 1. Cor. 11.  
 19. in primis Simon Magus Actor. 8. (Omnium in N. T. hæreticorum ex sen-  
 tentiâ Eusebij πατὴρ καὶ δημιουργὸς) Hymenæus & Alexander 1. Timoth. 1. Euseb. lib. 5.  
 20. Phygellus & Hermogenes 2. Timoth. 1. v. 15. Philetus 2. Timoth. 2. cap. 14.  
 2. 17. Nicolaitæ Apocal. 2. 6. Diotrepes Φιλοπετῶσεύων 3. Joh. v. 9. Menan-  
 der, præterea Ebionai, Cerinthiani, Saturniani, Basilidiani, &c. & omnes ta-  
 men citra.

men citra synodorum subsidium verbi divini gladio validissimè sunt jugulati. Neq; enim veritatis efficacia simpliciter ex numero & multitudine suffragiorum aestimanda. Imo & duobus vel tribus Christus presentiam pollicetur in nomine suo congregatis Mattb. 18. 6. 10. Siquidem in ore duorum Bell. lib. 1. aut trium consistit omne verbum, ibidem v. 16. Deut. 19. 15. Ineptè ergo Conc. cap. 1. *Bellarminus* & præter rationem quædam concilia, nimis particularia, simpliciter ait esse necessaria.

## C A P U T Q V I N T U M.

### ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

#### XXVIII. *I. Autoritas Conciliorum dependet à scripturâ.*

Jesuita docet quod in decretis Conciliorum, Pontificis autorita-  
Bell. lib. 1. te comprobatis, omnes oporteat simpliciter acquiescere, ita ut nulli ea  
cap. 3. 4. in dubium vocare fas sit, aut ad scripturæ amissim examinare.  
Verum enimvero concilij omnis etiam sanctissimi definitio non est præ-  
toria, sed tantum declaratio & indicium ejus, quod Deus judicat & jubes  
credere ac facere: multo minus est absoluta: Ea enim soli Deo competit,  
cujus est præscribere fidei & vitæ normā, ita ut nulli aliter fas sit credere, aut  
agere. Unde plusquam hyperbolicum est elogium, quod Gregorius ep. 24. lib. 1.  
*Regist.* tribuit quatuor conciliis primis Oecumenicis, fatendo se ea suspicere,  
ac generari, sicut Evangelij quatuor libros. Idq; etiam in jure Canonico dist. 15.  
Bell. lib. 2. repetitur; cui suis distinctiunculis frustra conatur Bellar. οφθαλμον  
de conc. c. 12. parare. Pulchre Augustinus ad Maximum Arrianorum Episcopum. Nec ego  
August. Nicenum tibi, nec tu debes Ariminense mihi, tanquam prejudicaturus preferre  
3. Contra concilium. Nec ego hujus autoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum au-  
Maximinū toritatibus, non quarumcumq; propriis, sed utrig; communib; testibus res cum re,  
cap. 14. ratio cum ratione concertet.

#### XXIX. *II. Quare omnia concilia, nisi ei simul immedia- ta Dei inspiratione prædicti intersint, errare possunt.*

#### XXX. *III. Etiam Oecumenica.*

Exempla eorum conciliorum, quæ errarunt vel in substantiâ dogmatum,  
Bell. lib. 1. vel certè in circumstantiis politiæ Ecclesiastice, exhibit tūm sacra, utz. Reg.  
cap. 12. 16. 6. 11. Job. 19. 6. 22. tūm passim Ecclesiastica historia. Nec veritatis auto-  
ritatem Conciliis comprobatio Pontificis conciliat, ut vult Jesuita.

#### XXXI. *IV. Concilij legitimi autoritas, licet humana sit, major tamen, quam ullius hominis est.*

#### XXXII. *V. Etiā Romani Pontificis, si vel Episcopi veri munus obiret, multò vero magis jam, cum Antichristus est.*

Bell. lib. 2. Tota autem Disputatio, qua Bellarminus Papam supra Concilia extollit,  
cap. 13. partim nugivendula est, & τὸν αρχὴν petit, partim blasphemæ, & regaliæ  
atq; insignia Christi propria, filio isti perditionis communicat.

F I N I S.  
Gratias tibi Domine Iesu.

Aug VI 46(1)



82-

Retro

V. 17





# Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1

Black  
White  
3/Color  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

125.  
**Illiis**  
i Bellarmini  
e materia  
TLO  
OPFFNERO,  
PP.  
HILSCHERO,  
ilefio.  
arii horâ  
C. XX.  
Thomæ Schüreri.  
as LANCKISCH.